

hujusmodi sanctificari dicantur, ex hoc quod culini divino applicantur. Quibus probatum remanet quod dictio *santa* in dicta lege 18. est idem quod in dicta lege 12. nempe res dicata cultui divino, ob quod non erit illa res quæ neque sacra, neque profana reputatur, ut de jure civili dicitur in leg. sacra 9. §. *proprie dicimus, ff. de rer. divis.* sed quæ cultui divino dicata est, ut cavetur in dicta lege 12. titulo 28. part. 3. Et explicat divus Thonias ubi proxime, ac per consequens dictiones, *santa* o *sagrada* unum & idem significant.

48 His positis, clarè sequitur, quod licet ea quæ furto ablata fuerunt, essent applicata usui altaris, in quantum imaginem ornabant, non tamen erant *sacra*, neque *sancta* in sensu juris civilis: nam non erant lege aliqua sancita, ad usum reipublicæ destinata, quod necessarium est, ut *sancta* quodammodo dicantur, sicut docet Justinianus in dicto §. *sancta quoque*, vel sanguinibus affecta, ut placuit Marciano in dicta lege *sanctum* 8. ff. *de divis. rer.* Neque erant *sancta* in sensu nostri juris, quia, ut dictum remanet, ex dicta lege 12. *sanctum* & *factum* idem est: desinebat namque consecratio ritè facta per Prælatum; quia ex oblatione vel applicatione facta per privatum, neque res, neque persona sacra proprie effici potest, Text. in leg. in *tantum*, & leg. *sacra*, ff. *de divis. rer.* in tantum ibi omnes Doctores, Petrus Gregorius dicto libro 33. capite 14. numero 1. Suar. tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 3. de sacri- leg. c. 2. n. 1. Layman. in Theo. mor. lib. 4. 49 tr. 10. capite 7. numero 3. Lezan. d. tom. 2. verb. *sacrilegium*, n. 3. Et sic quantumvis bona de quibus agimus, furata fuissent de loco sacro, ex quo sacrilegium resultabat, juxta dict. cap. *quisquis*, §. *sacrilegium*, & dict. leg. 10. titulo 18. parte 1. Non tamen illud quod requiritur ad pœnam capitalem imponendam juxta dictam legem sacrilegi 9. & dictam legem 18. per quas pœna acerba imposita est, ut docet Farinacius dicta questione 172. numero 1. cum sequentibus; & ceteri quos retulimus supra numero 25. Quia si dicta ejus bene scrutentur, quamvis sacrilegium fieri teneant subripiendo rem usui Ecclesiæ dicatam, ad proprietatem criminis requirunt quod sacra ritè sint; & ad pœnam ordinariam, quod concurrat sacrum subreptum de loco

facto, ut expressè docent ex nostratis bus dominus Gregorius Lopez in dicta lege 18. glos. 9. Antonius Gomez dicto c. 5. n. 11. Vela dict. c. 30. numero fin. Molina de *justitia & jure*, tom. 3. disput. 684. n. 3. & disput. 695. n. 35. & 36. Pichardus dicto §. 4. numero 110. Barbosa in capite 2. de privilegio, numero 3. Ayllon ad Gomez d. c. 5. n. 12.

Ex quo fit, quod pœna sacrilegii regulariter arbitraria sit, ita ut usque ad mortem extendi possit, ut latius probant Farinacius, & Barbosa ubi proxime; & merito, quia sacrilegii materia recipi magis & minus, cum ea quæ de Ecclesiâ furantur, in triplici differentia esse possunt. Prima quando res profana quæ in templo custodiæ causâ, deposita fuit, vel casu ibi reperitur, furto subtrahitur; nam licet dubitari non possit quod loco sacro injuria fiat, non tamen res facta ad usus profanos convertitur, & sic levius puniendum hoc sacrilegium, licet gravius quolibet alio furto, ut docet Paulus in dicta lege *sacrilegi* 9. §. 1. ibi: *amplius quam fures, minus quam sacrilegi*. Secunda differentia est, quando ultra irreverentiam loco sacro factam, res ipsa sacra irreverenter tractatur, & ad usus profanos convertitur, quod pessimum sacrilegium est, cum res sacra ritè per Prælatum reperitur, & in hoc casu pœna acerbior, nempe mortis omni jure imposita reperitur, ut docent Gregorius Lopez, & Antonius Gomez ubi proxime cum cæteris ibi laudatis, quibus addendus Azevedo in leg. 2. titulo 2. libro 1. *recopilationis*, numero 4. Tertia differentia versatur, quando furtum sit de re quæ non est profana, neque ritè sacra, sed applicata usui Ecclesiæ, vel ornatui altaris & in his terminis cum in criminalibus servanda sit proportio inter delictum, & pœnam, & cum hoc furtum gravius appareat, ac factum de re omnino profana, sed non adeo gravius est, ut æquari possit cum rei ritè consecratæ furto, mediam viam eligendo graviter puniri debet, citra mortem tamen. Et hæc est vera resolutio in praxi recepta, atque communiter à Doctores probata.

Quare in nostra specie dicendum videbatur, quod ratione rerum furivarum gravissimè reus plectendus veniret, sed non pœnâ mortis; si adesset pro

probatio; quamvis si de omnibus qualitatibus plenè constitisset ex triplici ratione capite plectendus erat. Primò ratione conculcationis imaginis Beatæ Mariæ, si de ea constaret cum debitis requisitis, juxta ea quæ diximus supra numero 14. & 15. Secundo ex tribus fortis, quia capitalis pœna de generalis consuetudine imponi debet ex leg. *capitalium*, §. *famosos*, ff. *de pœn.* probat Antonius Gomez dicto capite 5. numero 6. Azevedo in leg. 7. titulo 11. libro 8. *recopilationis*, numero 95. Farinacius questione 167. numero 48. cum sequentibus. Clarus in §. *furtum*, numero 8. ubi Baiard. numero 42. Caballus cas. 99. numero 48. Giurba consilio 93. numero 1. & 1. Gutierrez in prax. q. 155. ex numero 1. Antonius Matthæus dicto titulo 1. libro 47. ff. *capite* 3. numero 10. Dominus Gregorius Lopez in dicta lege 18. titulo 14. parte 7. glos. 5. Vela dicto capite 12. numero 23. Berlich. dicta conclusionem 45. numero 89. cum sequentibus. Carpzovius dicta questione 78. numero 76. & 83. Tertiò ratione effractionis Ecclesiæ ex Text. in d. l. *sacrilegi* 6. & leg. *in. de re milit.* & de leg. 6. tit. 5. libro 4. *fur. leg.* per quam similis pœna imposita est, ut tradunt Montal. *ibid.* in glos. verb. *numera* per ello, & Azevedo in dicta lege 1. tit. 2. lib. 1. *recopil. num* 5.

At dubium præcipuum hujus controversiæ versatur circa probationem furtorum in Ecclesiis parratorum. Nam ex inventione rerum furivarum cum mala fama, & pessima qualitate inquisiti, & defectu probationis authoris, solum oriebatur iudicium ad torturam, secundum mentem omnium Doctorem quos Fiscus allegavit supra numero 30. de quo articulo plura tradit Farinacius dicta questione 177. numero 5. cujus doctrina communiter recepta est, nisi in Regnis in quibus adest lex specialis per quam cavetur quod ex his resultet plena furti probatio, ut de Regno Valentia dixi tom. 2. de regim. capite 8. §. 8. ex num. 3. Neque Textus in dicta lege 2. & in dicta lege civile 5. Cod. de *furtis*. Aliud probant cum in cis iuribus solum suspicionem, orti dicatur, quod est diversum à præsumptione juris vel iudicio, probat Fatim. d. q. 55. n. 1. n. 67. & n. 178. ita ut ad perfectum iudicium requiratur mala fama inquisiti, quæ sine adminiculis per se non est

D. D. Laur. Matthæus, de Re Crim. Pars 1.

sufficiens ad torturam. Pluribus Farinacius q. 23. n. 21. *vers. verumtamen*. Unum enim iudicium non sufficit ad condemnandum, sed plura necessaria sunt ex violentis, juxta Textum in l. *fin. C. de probat.* docent Peguer. dec. 17. ex n. 1. Dom. Fr. Hieron. Leon. d. dec. 125. Farin. q. 36. n. 36. Ceval. *com. contr. com.* q. 37. Cabal. cas. 288. n. 13. Giurb. *conf.* 43. n. 23. Marq. in *guber. Christ. lib. 2. c. 17.* dominus Larrea alleg. 66. n. 2. cum seqq. Ant. Mar. d. l. b. 48. ff. *tit. 14. c. 1. n. 7. tit. 15. c. 6. n. 1.* cum aliis per me deductis d. §. 8. n. 2. ac per consequens dispositio Text. in l. *qui sententiam* Cod. de *pœn.* in nostra specie non adprobatur. Neque Gutierrez d. q. 52. n. 2. de condemnatione criminali tractat, sed de restitutione rei furatæ, quod est valde diversum.

Ex his rationibus, iste reus condemnatus per Aulam fuit ad questionem, ratione duorum furtorum in Ecclesiis parratorum; & cum negasset, valide torturam tolerando, ex primo furto qualificato ex magnitudine, & in domo domini quem servierat, de quo convictus & confessus reperiebatur, condemnatus fuit pœna verberum & remigii per decennium, sententia diei 13. Augusti anni 1663; Aduante Francisco Mançano.



## CONTROVERSIA XXXVII.

De servitore subscriptionem domini falsificante ad intercepti pecunias ejusdem.

## SUMMARIUM.

- 1 Facti species traditur.
- 2 Furtum committit interceptiens pecunias alterius subscriptionem illius imitando.
- 3 Tertium furtum pœna capitali plectendum ex generali consuetudine.
- 4 Falsum committit qui alienum chirographum imitatur.
- 5 Lex Cornelia de falsis solum de testamentis à principio carvis, quare testamentaria dicebatur.
- 6 Lex Cornelia, & ejus pœna extensionem admiserunt extra testamenta ad omnia quæ falso fiunt.
- 7 Falsum quid dicatur.
- 8 Sine dolo nequit aliquis nomine, & subscriptione alterius usi ad intercepti pecunias ejusdem.



- 9 Chirographum alterius imitando falsum committitur de jure nostro.
- 10 Falsi criminis pena arbitraria est, tam de jure civili, quam Hispano.
- 11 Falsi pena ex criminis gravitate extendi potest usque ad capitalem, inclusivè.
- 12 Quod etiam jure Hispano cautum est.
- 13 Falsi pena usque ad mortem extendi potest ex reiteratione, sicut ratione gravitatis.
- 14 Pena criminis reiterati, an reiterari possit, valde controversum est.
- 15 Pena criminis reiterati aggravari debet, non reiterari, juxta receptiorem sententiam.
- 16 Falsi crimen gravius est furto.
- 17 Tertii furti pena, qua est capitalis, debetur ab eo qui falsis chirographis res alienas ter contrectat.
- 18 Tertii furti pena capitalis consuetudine introducta est.
- 19 Consuetudo strictissimi juris est, & sic extendi non potest ad ea quae proprie furta non sunt.
- 20 Reiteratio in crimine falsi maxima esse debet, ut pena arbitraria usque ad mortem extendatur.
- 21 Furta exigua domestica judicialiter non sunt punienda.
- 22 Nisi sepius patrata fuerint.
- 23 Sed eo in casu, non sunt punienda ita acerbè, ac si facta extraneo forent.
- 24 Crimina pluries facta de eadem re, & contra eandem personam continuato tempore, unum crimen reputantur.
- 25 Furta tria, ut capitali pena puniantur, debent esse distincta, & tempore.
- 26 Furtum factum ex acerbo tritici, licet plures saccos contrectando fiat, unum censetur.
- 27 Furta tria, ut pena capitali puniantur, requirunt specificam probationem diversitatis rei, & temporis minime continuati.
- 28 Falsitas ex reiteratione non punitur necessario pena mortis.
- 29 Reiteratio criminis juxta Text. in l. aut facta, §. nonnunquam, ff. de pœnis consideratur ad augendam pœnam quando plures sunt persone non delinquentes.
- 30 Punitiois exemplum verificatur quoties pena augetur, licet capitalis non imponatur.
- 31 Falsitas patrata per privatum in scriptura privata, mitius puniendâ quàm in publica persona, & instrumento publico.

32 Decisio Aula.

**D**ON Ferdinandus de Madrid Equestris Ordinis divi Jacobi, & Decurio antiquior hujus urbis, pecuniam ingentem quantitatem depoluerat penes Joannem de Bilbao negotiatorem, quoties alicujus quantitas opus habebat, chirographum manu propria subscriptum mittere in usum habuit, mediante fervore, qui subscriptionem Domini imitando, merces, atque pecuniam diversas summas, quinquies, vel sexies, interceptit, atque in usus proprios consumpsit. Convictus primùm de exactioe, nemum confessus fuit chirographa falsò fabricasse. Dubitabatur, qua pœna esset plectendus.

Et videbatur acerba pœna puniendam fore: quia dubitari non poterat in eo crimine coincidisse furtum, & falsum. Furtum, quia contrectatio fraudulenta rei alienae invito domino aderat, quod furtum est ex Text. in l. 1. §. si. l. falsus 43. §. 1. ff. de furt. bene Salernitanus decis. 27. num. 2. cum seqq. Et licet ex simplici furto nemo capitali pœnae subiciatur, ut latè diximus contrav. 36. n. 2. & 37. cum seqq. etiam si domino fiat, ut ibidem probavi num. 41. Tamen hac in specie furtum reitoratum fuit, non bis aut ter; sed sexies: ob quod juxta communem consuetudinem, quam probavi ead. contr. 36. num. 54. capitali pœna puniri debebat. Cum ex reiteratione criminis, incorrigibilitas rei resulset, ita ut famosus dici posset, & pœna in eum aggravari, juxta Textum in l. aut facta, §. famosus, & §. fin. l. capitalium, §. solent. ff. de pœn. cum similibus.

Quod crimen falsi admisit dubitari pariter non poterat; quia imitatio chirographi alieni, falsi crimen est, ut docet Paulus in l. quid sit 23. ff. ad leg. Corn. de fals. ibi: Quid sit falsum quaeritur, & videtur id esse si quis alienum chirographum imitetur. Licet enim lex Cornelia ab initio solum de falsis testamentis judicium publicum dedisset, ut habetur in leg. 1. in prin. ff. ad leg. Corn. de falsis, l. eum qui 14. Cod. eod. Quare & ipsa lex testamentaria dicebatur, Text. in l. lege 30. ff. eod. notant Carol. Sigon. lib. 2. de Judic. cap. 32. Cuius lib. 3. respon. Pauli in l. instrumentorum 16. ff. eod. aliis relatis Pichard. in §. item lex Cornelia, de falsis, 6. insit. de public. Indio.

numero 1. Postea ad omnia instrumenta, & privatas scripturas, sive ex Senatufconsulto Liboniano, edicto divi Claudii, vel aliorum Caesarum constitutionibus extensa reperitur, ut Pichard. ibidem docet, & post eum Antonius Matth. libro 48. ff. titulo 7. capite 1. numero 2. Quod probatur in dict. leg. 1. §. qui in rationibus 4. & §. is qui deposita 6. l. lege Cornelia 9. §. final. dict. leg. instrumentorum 16. §. 1. ff. eod. ibi: Paulus respondit legis Corneliae pœna omnes teneri, qui etiam extra testamenta caetera falsa signa sint. Sed & caeteros qui in rationibus, tabulis, litteris publicis, aliave qua re, sine consignatione falsum fecerunt, vel ut verum non appareat, quid celaverunt, subripuerunt, subjecerunt, resignaverunt, eadem pœna affici solere dubitatum non est. Explicat Sigonius, & Cujacius, & Pichard. ubi prox. Anton. Matth. dict. capite 1. numero 5. & 6. & Benedictus Carpovius in pract. crimin. parte 2. questione 93. numero 15. Et hanc conclusionem tenent ex practicis Jodoch. in prax. capite 122. Rub. de falsis. script. numero 3. Baiard. ad Clar. in §. falsum, numero 211. Felin. in capite 1. numero 5. de magist. Petrus Gregor. libro 36. syntag. capite 5. numero 1. Farin. de falsis. questione 50. numero 74. Giurba cons. 5. numero 2. Carpov. d. questione 93. numero 6. 1. Et ratio est, quia falsum definitur, mutatio dolosa veritatis in praedictum alterius: & cum ex fabricatione chirographi nomine alieno, ad interceptendum pecunias, illius, cujus manus imitatur, resulset dolosa mutatio veritatis: cum sine dolo, nemo possit nomen alterius usurpare, & subscriptionem illius fingere; & ex eo praedictum resulset, eo invito res, vel pecunias ipsius contrectando: inde sequitur quod licet in judicio simile chirographum non edatur, falsi crimen perficitur, ut omnes Doctores allegati tenent. Et de jure nostro probat Text. in l. 2. tit. 5. lib. 7. for. judic. ibi: si alium ome face falsis scripto, olo usare en juicio, o en otra cosa subiendo. Idem probat Textus in l. 1. tit. 7. part. 7. ibi: falsedad es mudamien-to de la verdad, & Text. in l. 4. tit. 12. lib. 4. for. legum ibi: si alguno que no sea escrivano publico ficieren falsa escritura junct. l. leg. ibi: Todo ome que ficieren carta falsa sobre o compra sobre donadio. Docent Montalvus, Paz & Dominus Gregor. D. D. Laur. Matheu. de Re Crim. Pars 1.

Lopez in his jurib. Dominus Covarr. in c. quavis pactum 1. parte §. 7. numero 7. Anton. Gomez in l. fin. Taur. numero 6. Qui omnes concludunt criminis falsi pœnam hodie arbitrariam esse per Text. in d. l. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornelia de fals. & de jure Hispano per Text. in leg. 2. tit. 5. lib. 7. for. judic. lib. 6. titulo 7. d. part. 7. & dict. leg. 4. titulo 12. libro 4. for. leg. Quod quamvis ita se habeat, cum arbitrarium judicanti concedatur extendi pœnam usque ad mortem ex criminis gravitate, Textus in leg. eos qui 27. §. final. ff. eod. titulo, melior Textus in leg. ubi falsi in fin. Cod. eod. ibi: sup- plicio capitali, si id exigat magnitudo commisi. De jure nostro Textus in leg. fin. titulo 19. part. 3. ibi: debe morir per ello. Qui quidem Textus, licet loquatur de publico Tabellione Curiae Regis nostri, idem procedere in quocumque alio falsi crimen patante, si magnitudo commissi id suadeat, ex d. leg. ubi falsi, docet Dominus Gregor. Lopez in eadem leg. fin. glof. 2. Quae conclusio communiter à Doctoribus admittitur, ut differet probant Boërius decis. 81. num. 8. & 9. Baiardus ad Clarum d. §. falsum, numero 244. Matth. de Afflictis decis. 404. numero 17. Petrus Cabal. cas. 165. numero 11. & cas. 206. numero 4. Peguera decis. 80. numero 14. Capiccius decis. 130. num. 11. Petrus Gregor. lib. 36. syntag. cas. 2. Farin. d. g. 150. n. 24. Sigis. Scaccia lib. 2. de jud. c. 8. n. 475. Joan. Bapt. de l. horo in comp. decis. 13. verb. falsitas commissa in subscriptione, in prin. Ant. Matth. d. tit. 7. c. 2. num. 1. Carpov. d. quest. 93. n. 19. Ex nostratibus Dominus Gregor. Lopez d. glof. 2. Bernard. Diaz in prax. Canon. cap. 177. verb. falsarii, num. 1. Vela de delictis parte 1. c. 10. n. 10. ad fin. Pichard. in d. §. item Lex Cornelia de falsis, n. 4. & in manna. ad prax. parte 3. §. 4. n. 57. qui plures allegat.

Et quemadmodum ratione magnitudinis commissi, pœna falsi extenditur usque ad mortem, sic similiter ratione reiterationis, vel frequentiae extendenda est. Quia licet valde controversum fuerint Doctores, an ex delictis reiteratis, si tendunt ad eundem finem, vel fiant contra eandem personam, pœna sit patiret iteranda, ad Textum in leg. nunquam plura ff. de privat. delict. & leg. illud. 32. §. final. ff. ad leg. Aquil. De quo articulo latè disputat Dominus Covarr. lib. 1. Var. cap. 10. n. 8. & post eum Cabal. cas. B 2 145.



145. per tot. & Guazzin. defens. 28. cap. 13. num. 10. Verior sententia est, quod etiam si delicta iterata sint ex intervallo, dummodo contra eandem personam patrentur, poena aggravari debet. Sic docet Dominus Covarruvias d. numero 8. vers. verum. Quo postquam tetulit opinionem Bartoli, tenentis reiterandam poenam, quia aestimavit unum quodque delictum per se perfectum, & consummatum; subjungit. Ego quidem potius opinor ratione privata offensa, & publica vindicta, arbitrio recti, & discreti iudicis poenam augendam fore, quam iterandam. Et hanc doctrinam, rejecta opinione Bartoli secuti fuerunt Farin. d. quasi. ne 150. numero 24. ibi: Hec autem poena mortis non solum potest imponi quando falsitas est magna, prout modo dixi; sed etiam quando est pluries reiterata. Petrus Caballus d. cas. 145. num. 4. ibi: Quando status punit producentem falsum, & producentur plures, fatetur Covarruvias, quem secutus est. Fatinacius quod licet in proposito nostro unica tantum poena imponenda sit delinquenti: gravior tamen esse debet, propter iterationem, quod sicut verissimum est, ex communibus juris regulis comprobatur. Guazzin. d. c. 13. num. 10. ibi: quamvis videantur esse plura delicta unica tantum poena puniri debent, ut bene & late declarat Petrus Caballus, ubi tamen dicit quod acrius puniretur pro reiteratione falsitatum. Cum autem reus de quo agimus pluries falsis chirographis pecuniam domini contrectavisset; sive furtum hoc crimen aestimetur, ut voluit Jodoch. in prax. cap. 119. n. 1. quem sequitur Carpov. d. quasi. 93. numero 1. sive crimen falsi habeatur, quod gravius furto est, ut cum Tiber. Decian. Peguer. Clar. Farin. Menoch. & aliis probat Carpov. ibid. numero 2. capitaliter puniendum videbatur. Nam generalis consuetudo puniendi tertium furtum poena capitali, non extendebatur ad aliud delictum specie distinctum, sed in vero furto qualificato per falsum, ei superadditum exercebatur. Quia falsitas tanquam qualitas furti consideranda erat, mediante qua contrectationis effectus consequebatur. Sicut effractio, quae furtum qualificat, & poenam ipsius auget, ut dixi contr. 34. numero 14. cum seq.

18 Sed nihilominus extra ordinem puniendum Aula decrevit. Primum quia li-

cet verum sit quod tertium furtum puniatur ex generali consuetudine capitali poena, cum haec consuetudo sit strictissimi juris, ut dixi contr. 36. num. 41. extendi non potest de casu ad casum, sed observanda in terminis expressis. Quia regula de tribus furtis puniendis poena mortis, solum procedit, in tribus furtis proprie sumtis, non vero in aliis criminibus, quae improprie furta dicuntur. Sic tenentur Cepol. conf. 73. num. 8. Cardinalis Tuschus lit. F. concl. 564. numero 23. & 24. Farinac. questio. 167. n. 84. Ex nostratibus enim Covarruv. d. lib. 2. var. cap. 9. num. 7. Gomez dict. lib. 3. capit. 5. numero 6. Vela de delictis parte 1. cap. 12. numero 23. Pichad. d. §. 4. numero 60. Ayllon ad Gomez d. cap. 5. numero 7. de tertio furto puniendo poena mortis loquuntur, non autem de falsitate, vel alio quovis delicto. (Licet Joann. Gutierrez in prax. crim. quest. 154. numero 48. & Azevedo in l. 7. tit. 11. lib. recopil. ex numero 95. non sine dubio adhuc in furto siment) cum autem crimen de quo tractamus falsi proprie sit, quod poena arbitraria puniatur, & quantumvis reiteratione aggravetur, non apparet, de consuetudine puniendi tertiam falsitatem capitali poena: Ideo nisi casu quo excessus reiterationis ita maximus sit, ut proportionem obtineat cum hominis vita, similis poena non est imponenda, quia in delictis semper mitior sententia amplecti debet ex d. l. perspicendum, ff. de pen. l. absentem in fin. ff. eod. c. odia. 15. de regul. jur. in 6. Menchaca de success. creat. part. 1. libro 1. §. 6. numero 34. Burgos de Paz questione civil. 11. numero 15. Farin. in frag. lit. E; numero 116. Amaia in leg. 1. Codic. de immunit. nem. conted. n. 17. in fin.

19 Secundo: nam licet concedamus quod furta proprie commissa fuerunt, negari non potest quod haec erant furta domestica; nam per famulum, & servitorem parata erant de re domini, & ea non videbantur magna, sed exigua. Quare de jure non dabatur actio furti, juxta Textum in d. leg. perspicendum, §. 1. ibi: si villora sunt publica iudicanda non sunt, nec admittenda est huiusmodi accusatio. Quod procedit secundum nostras leges Text. in lege 17. tit. 14. part. 7. ibi: furiasse alguna cosa que no valiesse mucho, que maguer le pueda demandar aquello

21 aquello que furto: Con todo esso non le deve pechar poena de furto. Et quamvis Baldus in l. apud antiquos in fin. Cod. de furt. Si servus multis vicibus res viles furetur, teneat quod tenetur de furto, quem sequitur Dominus Gregor. Lopez in d. leg. 17. glos. 4. non est intelligendum, ut poena acerba teneatur ex reiteratione, sicut quando furavit extraneis. Quia ex multiplicitate furtorum duae specialitates darentur, una ut actione ut poena acerba teneatur ut reiteratio, sicut quando furavit extraneis. Quia ex multiplicitate furtorum duae specialitates darentur, una ut actione ut poena acerba teneatur ut reiteratio usque ad mortem, quod jus non patitur, ut cum Menochio, Cephal. Seraphin. Cancerio, & Berlichio probavi de regim. Val. tom. 2. capite 8. §. 8. num. 244. Hic enim reus res parvi valoris furatus fuit, sive exiguas quantitates: quare abique dubio levius puniendus erat, cum ex reiteratione graviolem effectum passus fuit, nempe, quia judicialiter de furto accubatur: & sic poena aggravanda acerbius non erat, cum hoc jura detestentur, in domesticis furtis exiguioribus.

24 Quibus addi poterat, quod haec delicta, sive furta, sive falsitates aestimantur, licet fierent ex aliquo intervallo, antequam a iudice, vel Domino coerterentur, fiebant contra eandem personam, & de eadem re, & continuo tempore; & sic quantum ad punitionem, & publicam vindictam unum, & idem crimen in effectu erant, quia ad eundem finem iteratio fiebat: juxta doctrinam Bartholi in leg. insciando, §. infans, numero 3. ff. de furt. Idem Bartol. & Angel. in leg. quicumque, Codic. de ser. fugit. Dominus Covarruv. d. capite 10. numero 8. vers. quintum est, Boer. d. decis. 82. numero 10. Farinacius d. quasi. 167. numero 71. Et regula de tribus furtis puniendis poena capitali, procedit quando singula furta sunt distincta re, & tempore, alias fecus. Sic docent Clarus in d. §. furtum, numero 15. ubi Baiard. numero 61. Caball. casu 99. numero 49. Farin. ubi prox. dict. num. 71. Giurba conf. 95. numero 5. Berlich. tom. 5. conclus. 43. numero 97. Ex nostratibus Azevedo in d. leg. 7. numero 111. Gutierrez in prax. questione 155. numero 6. Et quantum concedamus, quod reus iste intercipit diverso tempore, non tamen diversam rem; quia ex summa pecuniae per dominum depositae hodie quatuor, heri sex, mane quinque intercipiebat.

25 Imò nec diverso tempore; quia continuatio per quam contrectabat, unitatem importat, ut diversis Juribus probat Angelus in auth. sed novo jure, n. 5. C. de ser. fug. quem refert & sequitur Farin. d. q. 167. numero 74. & post eum Giurba d. conf. 95. numero 9. ponens exemplum in furante saccum frumenti ex acervo, vel vini amphoram ex dolio: nam licet pluries fiat, unum furtum censetur. Sic similiter pecuniam ex atca continuo tempore contrectans, unum tantum furtum committit. Quod licet gravius puniendum propter iterationem, ut cum Domino Covarruvias & aliis dixi supra num. 14. & 15. non tamen poena capitali, quia ad hoc debet concludenter probari diversitas rei, & temporis non continuati, sed omnino distincti, de quo non solum in nostra specie non constitit, verum omnino contrarium quia ex ipso facto continuatio resultabat. Quae quidem ratio pariter militabat in falsitate chirographum; nam (praeterquam quod doctrinam Farinacii in dict. questione 150. numero 24. ad fin. solum comprobatur auctoritate Jodoch. in dict. capite 123. numero 23. qui non necessariò poenam capitale inponendam censet, ex crimine falsi reiterato; sed imponi posse opinatur, juxta Textum in dict. lege aut facta, §. nonnunquam, ff. de pen. Si verba Consulit Claudii perpendantur ibi: Quoties nimium multis personis grassantibus exemplo opus sit. Non frequentiam delinquendi ab eodem reo, ut poena augeatur contemplatam vidimus, sed quoties multis personis grassantibus exemplo opus est. Demum Textus in leg. si quis forte 6. §. si quos, ff. eod. leg. si quis servo in fin. Cod. de furt. & in leg. 1. Cod. ad leg. Jul. repetundar. Quos idem Jodochus allegat, non de poenae aggravatione usque ad mortem, sed de exemplo ex punitione resultante loquuntur. Cum autem doctrina cujusvis Doctoris intelligenda sit juxta jura ab eo allegata, ut dixi controvers. 30. num. 52. Jodochii traditum de pluribus personis idem delictum parantibus intelligi debet: & ratio disparitatis est manifesta; nam magis Respublica gravatur ex frequentia delinquendi per plures, quam per unum alterumve: eum enim in nostra specie non de pluribus perso-

D. D. Laur. Matthan, de Re Crim. Pars 1.

Bb 3 219



nīs grassantibus in eodem genere criminis ageretur, sed de uno pluries crimen patrans, licet ex incorrigibilitate gravius puniti debuit, citra mortem tamen, ita ut exemplum alios deterret, & ipse ab acerbitate mortis liberaretur, & ipse ab acerbitate mortis liberaretur, fallitates de quibus accusabatur, non erant re, & tempore distincta; sed circa eandem rem, & tempore continuato; ita ut clarè appareret unicum, & idem crimen in effectu ex omnibus resultare, unica tantum pœna puniendum, licet ex iteratione graviore, ut ex dictis respectu furti resultat. Et quod magis urgebat; ista fallitates non fuerunt facta per publicum Tabellionem, vel in forma publici instrumenti: quo in casu plures tenuerunt pœna capitali eum plecendum, ut cum Luca de Penna, & Claro & Petro Gregorio tradit Fatinaeus *questione 155. numero 1.* sed per privatum, qui privatos chirographos immutaverat, ob quod arbitrium omni jure concessum in crimine falsi, temperandum erat juxta personarum, & facti qualitates.

32 Ex quibus manifestè responsum datur ad ea quæ contra reum allegabantur; nam, ut dixi *numero 19. & 25.* regula de tribus furtis puniendis pœna capitali, procedit ex consuetudine quæ non extenditur ad ea quæ propriè furti non sunt; & requirit quod sint re, & tempore distincta. Et falsi crimen arbitriè punitur, nisi falsitas adèd gravis sit, ut proportionem cum vita hominis contineat, quod non apparebat in nostra specie, & sic reus extra ordinem fuit punitus, pœna fustigationis quam meruerat, in tritemium commutando, juxta Text. in *leg. 8. titulo 11. libro 8. recopilationis.* De qua latè per Azavedum, & Gutierrez ubi proximè.

## CONTROVERSIA XXXVIII.

De publico Tabellione, sive Actuario causarum civilium, mandata iudicis falsò supponente, vel fabricante ad interceptandum pecunias judicialiter depositas.

## SUMMARIUM.

1 Facti species proponitur.

- 2 Dna. quæstiones disputanda designantur.
- 3 Prætoris litteras falsas fabricans, vel eis utens pœna legis Cornelia tenetur.
- 4 Actio in factum pœnalis, cumulat in hoc crimine cum pœna legis Cornelia.
- 5 Pœna legis Cornelia tanquam arbitraria quandoque augetur, & quandoque minuitur.
- 6 Iudicis decreta falsò conficiens, acerbius puniri debet.
- 7 Severitas major in nostris terminis solùm verificari potest in pœna capitali.
- 8 Jure Digestorum iudicis acta falsò conficiens, aqua & igni interdicitur.
- 9 Falsi crimen ex se capitale est.
- 10 Suppositi partis crimen falsi est, & pœna mortis punitur.
- 11 Magnitudo falsi pœna ultimi supplicii punitur.
- 12 Falsa moneta facinus, eadem pœna plecitur.
- 13 Immunitatis concessæ falsè attestatio pari pœna persequitur.
- 14 Tabellio publicus falsa instrumenta conficiens capite punitur.
- 15 De jure Hispano acta liti falsificans in causa gravi, pœna mortis punitur.
- 16 Pœna arbitraria à jure imposta in crimine falsi, de jure Hispano aggravatur usque ad mortem in Tabellione acta iudicis falsificante in lite gravi.
- 17 Actuarius, sive Tabellio Regiæ Curie in crimine falsi pœna capitali plecendus.
- 18 Delictum in officio gravius puniendum est.
- 19 Furtum magni valoris, capitalis pœna animadversionem exigit.
- 20 Furtum verè committit, qui falsis documentis pecunias alienas exigit, & in suos usus convertit.
- 21 Furtum æquivalens tribus furtis, pœna capitali plecitur.
- 22 Furtum an sit magnum, remittitur arbitrio Iudicis.
- 23 Leg. qui nomine 25. §. ad leg. Corncl. de fals. expenditur.
- 24 Leg. majorem, Cod. cod. declaratur.
- 25 Rescriptum quid sit.
- 26 Leg. final. tit. 19. part. 5. explicatur.
- 27 Falsa rescripta Principis conficiens, capitali animadversione dignus est.
- 28 Tabellio acta iudicis falsificans, extra ordinem puniendus.

29 Le

- 29 Leges Partitarum posteriores sunt legibus contentis in foro legum.
- 30 Leges posteriores derogant prioribus.
- 31 Pœna amputationis manus, tanquam inhumana commutari solet.
- 32 Pœna extraordinaria vunitur Tabellio apud plures gentes in crimine falsi.
- 33 Falsi crimen capitale, in aliquibus casibus non remanet capitale.
- 34 Pœna falsi ordinaria mitior capitali est tam de jure communi, quam Hispano.
- 35 Aggravantes qualitates augent pœnam, sed non usque ad capitalem.
- 36 Salernitani decisio 27. communiter reprobat.
- 37 Dignitatis privilegium amittitur in crimine falsi.
- 38 Idem procedit in crimine perjurii.
- 39 Nobiles, & in dignitate constituti torquentur in crimine falsi.
- 40 L. 4. tit. 30. part. 7. expenditur.
- 41 Janitores Regiæ, & Regiæ in aliquali dignitate, seu potius officio honorifico constituuntur.
- 42 Decisio Aula.

IN officio Joannis Perales Tabellionis publici, sive de numero hujus urbis, causa concussus creditorum disceptabatur, & cum bona communis debitoris sub hasta vendita fuissent, & pretium auctoritate Iudicis depositum, iste reus mandata Iudicis falsò conficiendo universam depositi pecuniam exegit atque in suos usus consumpsit: quo patratò liberationem judicalem dolo malo à Iudice exortam Depositario tradidit, mandata Iudicis recuperando, & comburendo, itaut amplius inventi non possent. Actis concussus inspectis ex pecunia deposita summa ingens deficiebat, triginta millium regaliorum moneta exorsæ excedens, quæ neque creditoribus soluta erat, neque in deposito reperiebatur. Constabat namque hanc quantitatem Tabellionem diversis diebus recepisse sub prætextu tradendi creditoribus, ad quorum favorem mandata falsa conficiebat. Captus, & interrogatus, de his negare non potuit pecunias recepisse; mandata in forma solemnem expedita negavit, sed traditionem quorundam chirographorum à se confectorum; ac tandem liberationem à Iudice verè provisam, ex falsa relatione ipsius confessus fuit. Dubitatum fuit

in Aula, qua pœna veniret plecendus.

Et omissa disputatione an ex hoc factis plura delicta resultarent, an unum qualificatum ex reiteratione falsi, & contrectationis, de qua latè discussimus in controversia præcedenti. Duo dubia in præsentem definienda videbantur. Primum an ex eo quod falsitas facta fuit per publicum Tabellionem circa acta iudicis, pœna aggravanda esset usque ad mortem. Secundum an ex eo quod reus in famulatu Regiæ Dominæ nostræ serviret; janitor quippe portæ exterioris vulgò *Uxier de Saleta* erat, ab ignominiosa pœna eximeretur.

Quoad primum, exacerbandam pœnam videbatur, quia in primis dubitari non poterat pœna legis Cornelia de falsis teneri, ut probat Textus in *leg. qui nomine 25. ff. eodem titulo. ibi: Qui nomine Prætoris litteras falsas reddidisse, editumve falsum proposuisse dicitur ex causa actione in factum pœnali tenetur, quamquam lege Cornelia reus sit.* Omnia namque actione in factum pœnali, quam pettinere ad hos quorum interest, ut rem recuperent, vel damnum reficiant, est compertum, ut probat Textus in *lege nec quidquam 56. ff. pro socio*, ut notat Accursius in *dicta lege qui nomine*, ubi etiam Bartolus, & Jason in §. *item si quis*, numero 59. & in §. *quadruplici*, num. 13. in *tit. de action.* Dum reus legis Corneliae haberetur, ejusdem pœna teneri est compertum; sic docet Textus in *capite olim. 25. de rescript.* probant Guido Pape, *decisione 455. numero 1.* Boërius *decisione 82. numero 4.* Petrus Gregorius *synagm. lib. 36. capite 5. numero 8.* Barbosa in *collectan. dicto capite olim*, numero *fin.* & Carpovius in *pract. crimin. parte 2. quæstione 93. numero 62.* ex nostratibus Bernard. Diaz in *prax. can. capite 108. numero 1.* ubi Salcedo, dominus Gregorius Lopez in *leg. 6. titulo 7. parte 7. glos. 8.* Didacus Petez in *leg. 22. titulo 19. libro 8. Ordin. verb. Archiepiscopo*; & Vela de *delict. 1. part. capite 10. numero 9.* apud quos plures reperies, qui tradunt hac pœna legis Corneliae teneri fabricantem falsò acta iudicis. Sed cum pœna dictæ legis Corneliae arbitraria sit, ut dixi *controversia præcedenti, numero 10.* itaut quandoque major, quandoque minor imponatur, juxta factorum diversitatem, ut notat Gloss. in *leg. 1. §. Bb 4 fin.*